

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Disputatio Controversistica qua Realis Ac Substantialis praesentia corporis & sanguinis Domini in Evcharistia

**Baldinger, Bernhart
Stucki, Johann Rudolf
Heidegger, Johann Heinrich**

1669

Caput VII.

[urn:nbn:de:bsz:31-162645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-162645)

CAPUT VII.
REIICITUR V. ARGU-
mentum.

O Blijcit D. Heideg. V. Idem Salvator
Joan. 6. 63. expressè docet, carnem
suam nihil prodesse, sed Spiritum, nem-
pe illum, quo baptizamur in unum cor-
pus, ut ita videamur corpus Christi man-
ducasse, vivificare, & verba sua esse spi-
ritum & vitam, hoc est spiritali lumine
spiritum nostrum illuminare, & sic vivi-
ficare; ideoque, si verbis ipsius creda-
mus, nos manducasse carnem. Hæc D.
Heideggerus.

Invenio huic argumento multum
confidisse Zwinglium in lib. de verâ &
falsâ religione cap. de Evch. huncque
locum vocasse murum aheneum, &
adamantem infractum. Quare, ut vide-
amus, aheneusne murus, an verò ara-
nea mera sit hoc argumentum, id è
tenebris, quibus involuitur, in lucem
producamus hoc syllogismo:

*Id in Eucharistia presens esse debet,
quod nobis prodest; non autem id, quod
nobis nihil prodest.*

*At spiritus, quo illuminati verâ fide
Eucharistiam sumimus, nobis prodest;
ipsa autem realis entitas carnis Christi
nihil nobis prodest.*

*Ergo hic spiritus, non autem ipsa enti-
tas realis carnis Christi debet esse, in Eu-
charistiâ præsens.*

Major est certa. Nam Eucharistia
est Sacramentum à Christo institutum
ad nostram salutem. Minorem pro-
bat D. Heideg. verbis Christi Joan. 6.
v. 63. Quibus, uti ipse ait, *idem Sal-
uator expressè docet, carnem suam nihil
prodesse, sed spiritum, nempe illum, quo
baptizamur in unum corpus &c.* Ar-
gumenti forma est bona; hinc vide-
tur conclusio ipsis Adversarijs contra
nos murus verè aheneus. Si enim
ipsa entitas realis carnis Christi non
debet in Eucharistiâ præsens esse, cur
eam præsentem dicamus, non con-
tenti vivificante spiritu? Hoc modo mi-
hi videtur vis hujus argumenti opti-
mè proposita, ita ut nec ipse D. Heid.
eam in formâ meliore proponeret,
quod, ut ipse & hîc & in alijs objecti-
onibus fecisset, tumme desiderarem.

P 7

Resp.

Resp. I. & sequentem syllogismum
velut alterum æquè aheneum murum
oppono.

*Id in Eucharistia præsens esse debet,
quod nobis prodest, non autem id, quod
nihil prodest.*

*At spiritus, quo illuminati vivâ fide eam
sumimus, nobis prodest: ipsa autem sub-
stantia panis naturalis nihil nobis prodest.*

*Ergo hic spiritus, non autem ipsa sub-
stantia panis naturalis debet in Eucha-
ristia præsens esse.*

Major eadem est, ac illa prioris syl-
logismi. Minorem probo iisdem
Christi verbis, & quidem à fortiori.
Nam si Christus expressè docet, *car-
nem suam nihil prodesse, sed spiritum,*
quomodo ipsa substantia panis natu-
ralis aliquid (nempe ad salutem ani-
mæ, de qua sermo est,) nobis prode-
rit? Quis enim tam insanus erit, ut
substantiæ panis plus utilitatis adscri-
bat, quàm ipsi entitati ac substantiæ
carnis Christi? Argumentum est in
eâdem formâ. Ergo & hæc conclusio
stat velut murus aheneus contra Ad-
versarios æquè invictus. Si enim caro
Chri-

Christi, quasi in Evcharistia nihil pro-
 sit, non debet in eâ esse præsens, cur
 adversarij panem præsentem esse vo-
 lunt, eumque religiosè sumunt? Cur
 non contenti sunt solo, Spiritu qui uti-
 que etiam absq; substantiæ panis sum-
 ptione reali prodest, quemadmodum
 dicunt ipsum prodesse sine reali sum-
 ptione entitatis carnis Christi? An
 panis salubrior est animæ, quàm caro
 Salvatoris?

Nec D. Heideg. dicat, ideo asseri,
 panem esse præsentem, quia legimus,
 quod Christus Evcharistiam in sum-
 ptione substantiæ panis instituerit, &
 quia ipsam videmus. Nam dico, falsum
 esse, quod ipsam substantiam panis in-
 ternam videamus; videmus enim
 tantum species, seu substantiam exter-
 nam, ut supra fol. 144. E contra autem
 substantiam carnis Christi multò cer-
 tius videmus oculis internis fidei, uti
 loquitur Chrysost. citatus part. 1. f. 88.
 91. 103. &c. Quod autem Christus
 Evcharistiam in sumptione substantiæ
 naturalis panis, non autem in sum-
 ptione veri corporis sui instituerit, hoc
 non

non supponi, sed nervosè convinci debet, siquidem de hoc ipso est quaestio.

Nec D. Heid. rursus dicat, substantiam panis ex suâ propriâ naturâ nihil quidem prodesse in Eucharistiâ; prodesse autem plurimum, quatenus est symbolum non tantum significans, sed etiam obsignans carnem; & quatenus fide vivâ, qua spiritus noster illuminatus, & à spiritu Christi vivificatus hoc symbolum sumit, à nobis manducatur, ut ita videamur ipsum corpus Christi manducasse.

Nam Resp. & dico, verba quidem speciosa esse; at vim nostræ retorsionis non retundi, sed confirmari. Dato enim (at nunquam concessio) quòd caro Christi nihil proffit, quid si & nos dicamus, carnem solam ex suâ naturâ nihil quidem prodesse; at prodesse plurimum, quatenus sub specie panis, tantquam sub symbolo non solum ipsam significante & obsignante, sed eam etiam verè sub se continere, à nobis vivâ fide (qua spiritus noster à spiritu Christi illuminatus & vivificatus eam sumit) manducatur, ut ita non tantum vi-

deat

deamur, sed etiam verè dicamur carnem Christi & spiritu, & re ipsa manducasse? Cerrè hujus spiritus summam utilitatem ultrò concedimus; at simul asserimus, eum in nobis efficacius operari, si à vero spiritu Christi illuminati vivâ fide credimus, amorem Christi erga nos tantum fuisse, ut noluerit nobis merû symbolum ac figuram carnis suæ (uti in antiquâ lege) tradere; sed & ipsam carnem suam tradiderit, quemadmodum hoc ipsum inter alios Patres part. 1. c. 8. 9. 10. citatos urget Chrysostomus fol. 91. 96. 103. 106. 134. & paulo supra fol. 323. At verò ut hujus veritas, & simul objectio- nis contrariæ nullitas melius pateat, etiam oppono sequentem syllogis- mum.

Id, quod nobis nihil prodest ad redemp- tionem nostram, non fuit à Filio Dei verè ac realiter assumptum, & in cruce pro nobis oblatum.

At vera entitas carnis non prodest nobis ad redemptionem.

Ergo vera entitas carnis non fuit à Filio

*Filio Dei verè ac realiter assumpta,
& in cruce pro nobis oblata.*

Major æquè certa est, ac illa syllogismi nobis objecti: quia Scriptura ubique expressè docet, quòd Filius Dei pro nostrâ salute se ipsum Patri in holocaustum obtulerit. Ergo non id obtulit, quod nihil; sed id, quod aliquid ad nostram salutem prodest. Minorem idem Salvator iisdem verbis Joan. 6. 63. probat, *si illis* (ut D. Heid. ait) *expressè docet, carnem suam nihil prodesse, sed spiritum, nempe* (dicam & ego, si licet glossas pro libitu fingere) *illum, quo excitatus semetipsum exinanivit, ut ait Paulus ad Phil. 2. 7. formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo: quo humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* En Paulus expressè ait, quòd acceperit *formam servi, in similitudinem hominum factus &c.* Cur? Ut sciamus, quòd ipse non veram entitatem carnis (*si caro non prodest quicquam*) sed tantummodò speciem, seu formam ac similitudinem hominis

nīs, seu phantasticam & apparentem hominis naturam suscepit, in eâque cruci affixus humillimo ac obedientissimo spiritu se Patri pro nobis obtulerit, ut ita videretur verè crucifixus ac mortuus esse. Argumentum in eâdem formâ est, qua id, quod nobis opponitur. Ergo & hoc argumentum erit murus aeneus.

Certè Manichæi huic argumento, cum exitialem ipsorum hæresim stabiliat, applaudent summopere, & idque ambabus manibus arripiunt, & in ejus confirmationem afferent id, quod de Abrahamo legimus Gen. 22. ubi is dicitur Filium suum unigenitum ita obtulisse, ut videretur, imò à Deo diceretur, verè ipsum suum Filium occidisse, ac immolâsse. *Quia fecisti hanc rem, ait Dominus, & non percisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi. v. 16.* Quomodo ergo filium obtulit? Certè eum non obtulit, carnem ejus mactando, hoc enim, ne faceret, erat inhibitus v. 12. *Nam Caro ipsa non prodest quicquam.* Quid ergo profuit, ut benedictionem acciperet? *Spiri-*

Spiritus (dicent Manichæi) quo Abraham obediens præcepto Dei filium occidere, ac offerre paratus fuit, ut ita videretur, ipsum filium occidisse ac obtulisse. Mi Lector, en, quàm speciosè Manichæi, huic eidem fundamento innixi suam hæresim, æquè ac D. Heid. suam, probare possint! Imo multò speciosius ob illa verba Pauli: *formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus, ut homo.* Quomodo sibi applauderet D. Heid, uti jam supra dixi, si ex Scripturâ posset huiusmodi verba pro suâ sententiâ afferre? Videat ergo ipse, quomodo Manichæis respondeat, & non simul murum suum aheneū prorsus destruat ac annihilat.

Nec dicat, illa verba Joann. 1. *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* v. 14. clara esse; nam Manichæi eo jure dicent, quòd Verbum caro factum sit, non veram entitatem carnis, sed ejus formam ac similitudinem accipiendo, quemadmodum hanc exegesis ac declarationem Paulus tradat ad Phil. 2. 7. Eo, inquam, jure Manichæi hoc dicent, quo ipse D. Heid. dum clara

clara Christi verba , *Hoc est corpus meum &c.* ipsi obijciuntur, dicit, Evcharisticū panem fieri corpus Christi in figurâ, & similitudine, ideôque τὸ ἐστὶν idem esse, ac *significat* carnem ineam, non autem esse ipsam entitatem carnis. Quod si D. Heid. Manichæis obijciet Concilia & PP. à quibus ipsorum explicatio, ac doctrina, velut hæretica, damnata fuit : Manichæi eadem ipsi D. Heideg. obijcient, & dicent, quòd ipse non minus teneatur, in simili causâ, acquiescere & sequi decreta Conciliorum, & unanimum doctrinam Patrum, quàm ipsi ad hoc teneantur Manichæi. En in quas angustias ille redigatur, qui vel unum S. Scripturæ locum, pro suo libitu, malè explicat!

Resp. II. directè & concessâ Majore utriusque syllogismi, nego utriusque Minorem, & dico, nobis plurimum prodesse, quòd filius Dei adeò se humiliaverit, ac exinaniverit, ut pro redemptione nostrâ veram carnem assumpserit, in eâ passus ac mortuus fuerit, eâque nobis in Sacramento verè ac realiter sumendam relique-

liquerit. Nam licet non parum nobis profuisset, imò ad redemptionem nostram suffecisset (ob infinitam filij Dei dignitatem) si ipse in solâ apparente formâ hominis se pro nobis ad mortem crucis, suo divino Spiritu, humiliâisset, quemadmodum etiam suffecisset, unam guttam sanguinis effudisset: non tamen hoc suffecit ipsius desiderio, quo æterno Patri non tantum sufficientem, sed & superabundantem satisfactionem dare, suumque infinitum erga nos amorem demonstrare voluit. Nec huic ipsi amori suffecit, dare in Sacramento Eucharistiæ verum panem, sed sub specie panis veram suam carnem dare voluit. Ad locum ad Phil. 2. ipse D. Heid. dicet, Filium Dei *formam servi* accepisse, dum veram carnem ac naturam humanam accepit, ideòque non tantum in formâ apparente, sed in verâ carne verè ac realiter *in similitudinem hominum*, id est, *hominibus similis* factus est, quemadmodum nos specie, ac naturâ similes sumus veri homines in verâ carne. Addet, hunc sensum confirmari, dum Pau-

Paulus mox subjungit: *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*: siquidem his verbis non tantum apparens, sed vera mors indigitatur. Obijciat quoque Manichæis verba Joan. 1. 14. *Et verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* & dicet, hæc verba absque causâ sufficiente à plano ac proprio sensu ad impro- prium ab ipsis torqueri. At ego eadem dico de verbis Christi: *Hoc est corpus meum &c. Hic est sanguis meus &c.* cum & alia loca Scripturæ, quæ D. Heidegg. nobis obijcit, æquè bene explicentur, ac illa ad Philip. 2. *Formam servi accipiens &c.* Sed, an ipse Manichæis concedet, carnem ad nostram redemptionem nihil profuisse? Si nihil profuit, cur eam Filius Dei assumpsit? Si profuit, uti plurimum sanè profuit, ergo falsum est, quod ipse docet, nempe quòd caro Christi nihil pro- fit. Ad exemplum Abrahæ dico, quòd is benedictionem sibi, posterisque suis promeruerit, non quia filium spiritu tantum & affectu, seu apparenter in figurâ, (mactan- do

do arietem) paratus erat mactare & Deo offerre; sed quia paratus erat (ut Deo obediens esset) proprio Filio unigenito non parcere, sed ipsum verè ac realiter mactare, occidere, & in sacrificium Deo immolare.

Verum quidem est, quòd affectus, maximè dum opus, seu res ipsa impeditur, non parum profit; at hinc non sequitur, ipsum opus, seu rem ipsam nihil prodesse. Christus non tantum affectum, sed & opus ipsum laudavit illius viduæ, quæ, ipso vidente, *omnem victum suum, quem habuit, nempe era minuta duo* in gazophilacium realiter misit Luc. 21. 4. Hinc prodest quidem spiritus, fides, seu votum ac desiderium, quo ipsum Christi corpus sumere desideramus, adeoque (maximè si occasio, id realiter sumendi deest) spiritualiter id sumimus, ita ut videamur corpus seu carnem ipsam manducasse. At hinc non sequitur, ipsam carnem Christi, dum realiter cum debito affectu sumitur, nihil prodesse. S. Simeoni multum profuit, quòd firmiter in Christum crediderit, adeoque ipsum (sumplerit spirit-

spiritualiter: nam ob hanc fidem ac votum ipse responsum acceperat à spiritu S. non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. Luc. 2. 36. At plurimum sibi prodesse (saltem ad tenerimos exercendos affectus) iudicavit, & sensit, dum hanc gratiam adeptus est, ita ut non tantum in verâ carne Christum videre, sed & in ulnas accipere meruerit: ideoque ipse accepit eum in ulnas suas, & benedixit Deum &c. Luc. 2. 28. Et non profit hæc ipsa caro, dum à nobis non tantum in ulnas accipitur; sed in sacramento verè sumitur? Sudaria S. Pauli Act. 19. 12. quin & umbra S. Petri Act. 5 v. 15. profuerunt ægrotis: & caro Christi nihil proffit? Certè mulieri illi Luc. 8. 44. fimbria vestis Christi profuit, & ipsa caro nihil proffit? S. Thomas 3. p. q. 1. art. 2. ex SS. Patribus, & præsertim ex Augustino fusiùs declarat, quantum profuerit, quòd filius Dei adeò se humiliaverit, ut veram carnem humanam assumpserit, scil. quantum hinc fides, spes, charitas, humilitas, aliæque virtutes in nobis erigantur, reprimatur autè spiritus

Q

tus superbiæ, aliorumque vitiorum affectus extinguantur. Sanè in hunc finem quantum nobis profit, quòd filius Dei non tantum carnem humanam assumere, sed assumptam nobis in verum cibum ac potum præparare, ac tradere, adeoque intimius in nobis habitare voluerit, quis non facile videt? Quòd B. Elisabeth à Matre Christi visitabatur: *exultavit infans in utero eius, & repleta est Spiritu S. Elisabeth.* Luc. 1. 41. Qua humilitate dixit ille Matth. 8. 8. *Domine non sum dignus &c.*? Et Joan. Bapt. Matth. 3. 11. *cujus non sum dignus calceamenta solvere?* Hoc argumentum prodesse judicavit Paulus, ut Corinthios ab idololatriâ, fornicatione, alijsque vitijs revocaret, ut videmus supra, fol. 322.

Resp. III. D. Heideg. citata Christi verba à suo vero & genuino sensu ad alium merè confectum, & à veritate maximè alienum trahit. Et quidem, 1. quòd ait: *Salvator*, Joan. 6. v. 63. *expresè docet, carnem suam nihil prodesse, falsissimum est; nam Christus non expresè dicit: Caro mea, sed tan-*

tum in genere, *Caro nihil prodest: de qua carne autem loquatur non expresse docet.* Quod si D. Heid. ait, ex antecedentibus hoc colligi, cum diceret: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam &c. 54.* Et: *Caro mea verè est cibus, &c. v. 63. &c.* Ego insto & dico: his verbis expresse docet, carnem suam plurimum prodesse: ergo illa caro, quæ dicitur nil prodesse, non est ipsa caro Christi, sed alia. Adhæc quæro, cur, cum prius de suâ carne loqueretur, semper expresse suam vocavit; hîc verò *τὸ mea* omisit? Certè etiam hîc dicere debuisset: *Caro mea nihil prodest, si expresse docere voluisset, carnem suam nihil prodesse.* Antiqui Patres hunc locum explicando non dixerunt, quòd Christus his verbis doceat, suam carnem nihil prodesse, imo hoc dicere horuerunt; sed per carnem quæ à Christo dicitur non prodesse, non carnem ipsam à filio Dei assumptam, sed aliquam aliam, uti resp. videbimus, intellexerunt. Ergo vel dicendum est, quòd isti Patres aliàs

Q 2

per

perspicacissimi *expressam* doctrinam
 Christi non intellexerint, aut studio
 se illi opposuerint: vel falsum est,
 quòd Salvator his verbis *expresse* doceat,
carnem suam nihil prodesse. Quis
 non potius hoc ultimum, quàm pri-
 mum credat? 2. Si Salvator per *car-*
nem intellexit *suam realem carnem*:
 quid per *Spiritum*, quem *carni* oppo-
 nit, intellexit? D. Heideg. ait, Chri-
 stum intellexisse *Spiritum*, nempe il-
 lum, quo in unum corpus baptizamur
 &c. At quæro, quis est iste Spiritus?
 Forſan Spiritus S.? Hic est enim ille,
 quo per baptismum regeneramur, &
 unimur in unum corpus mysticum.
 Si ita est: cur Christus mox aliud di-
 cit: nempe: *Verba, qua ego locutus*
sum vobis, vita & Spiritus sunt? Quod-
 si non tantùm ipse Spiritus S. sed ipsa
 quoque verba Christi hîc per Spi-
 ritum intelliguntur, (nempe quatenus
 spiritualia & ad spiritualem doctrinam
 tendentia, spiritali lumine, ut D.
 Heideg. ait, Spiritum nostrum illumi-
 nant, & sic vivificant &c.) cur è con-
 tra non congruentius dicam, per *car-*
nem

nem intelligi non ipsam carnem, seu corpus Christi, sed quidquid carnale est, huic spiritui resistit, adeoque ad carnalia tendit? 3. Si verba Christi audimus, eaque Spiritu nostro percipimus, quomodo videmur ipsam carnem manducasse? Christus carnem, & spiritum opponit, quod uni adscribit, id alteri derogat. Ergo si hunc Spiritum, de quo loquitur, percipimus, non videbimur carnem Spiritui contrariam, sed solum Spiritum manducasse. 4. Quæro, si nihil prodest ipsam carnem realiter manducasse, quid proderit, si videbimur ipsam manducasse? Vel si caro prodest, dum videmur eam manducasse, cur non proderit, si eam realiter, & simul affectu debito, manducamus? 5. Si Christus illis verbis *expresse* docere voluit, *carnem suam nihil prodesse*, quomodo verum est illud, quod prius sanè multò expressius docuit, nempe, *carnem suam plurimum prodesse*, idque roties inculcavit dicendo: *Qui manducat meam carnem &c. habet vitam aeternam?* An non hîc expressius, quàm ibi, de sua carne loquitur?

Q 3

D. Heid.

D. Heideg. dicet, carnem prodesse, at non ex se, sed solum si spiritualiter sumatur. Subjungo, ergo simpliciter falsum est, quod Christus hinc *expressè* doceat, *carnem suam nihil prodesse*: & solummodò verum est, quod Christus de modo carnem suam manducandi loquatur, & doceat, modum carnalem, quem Capharnaitæ sibi imaginabantur, non autem spiritualement, de quo ipse loquebatur, nihil prodesse. Demus hoc; at ubi Christus *expressè* docuit, eum modum, quo carnem Christi realiter (verâ quoque fide, ac spiritu) in Evch. percipi docemus, non spiritualement esse, sed merè carnalem, quem Capharnaitæ sibi imaginabâtur? Ex eo, quod aliquid realiter fit, nō semper fit carnaliter. Si in spiritu & veritate oramus, certè oramus realiter; at non ideo carnaliter. Dum negamus Christum à B. Virgine carnaliter conceptum esse, hoc ipso non docemus, quod ab illa conceptus sit tantum spiritualiter per fidem, ita ut videatur realiter conceptus esse: est enim alius modus concipiendi, spiritualis simul & realis, nempe quo

quo SS. N.
adamb
ter ca
carnes
bi ima
per fid
serimu
Qu
carnes
desse, a
27. in J
tus est.
quidq
Domi
un pro
illi qu
um, &
habebi
dest qu
quod s
nam,
est er
Non
intell
lexe
nati
quor

quo SS. Virgo Christum verè concepit
adumbrante Spiritu Sancto. Sic præ-
ter carnalem modum manducandi
carnem Christi, quem Capharnaitæ si-
bi imaginabantur, & merè spiritualem
per fidem, est tertius modus, quem as-
serimus, scil. realis simul & spiritualis.

Quod si D. Heid. vult ipsam Christi
carnem, aliquo saltem sensu, nihil pro-
desse, audiat S. Augustinum, qui Tract.
27. in Joan. hæc Christi verba: *Spiri-
tus est, qui vivificat, caro non prodest
quidquam*; explanans exclamat: *O
Domine, magister bone, quomodo caro
non prodest quicquam, cum tu dixeris:*
Nisi quis manducaverit carnem me-
am, & biberit sanguinem meum, non
habebit in se vitam? An vita non pro-
dest quicquam? Et propter quid sumus,
quod sumus, nisi ut habeamus vitam eter-
nam, quam tuâ carne promittis? Quid
est ergo, non prodest quicquam caro?
Non prodest quicquam, sed quomodo illi
intellexerunt: carnem quippe sic intel-
lexerunt, quomodo in cadavere dila-
niatur, aut in macello venditur, non
quomodo spiritu vegetatur. Proinde sic

Q 4

dictum

dictum est, Caro non prodest quicquam: quomodo dictum est, scientia inflat. Jam ergo debemus odisse scientiam? Absit. Et quid est, scientia inflat? Sola, sine charitate. Ideo adjunxit, Charitas verò ædificat. Adde ergo scientiæ charitatem, & utilis erit scientia: non per se, sed per charitatem. Sic etiam nunc, caro non prodest quicquam: sed sola caro. Accedat spiritus ad carnem, quomodo accedit charitas ad scientiam: & prodest plurimum. Nam si caro nihil prodesset: Verbum caro non fieret, ut inhabitaret in nobis. Si per carnem nobis multum profuit Christus, quomodo caro nihil prodest? Sed per carnem spiritus aliquid pro salute nostrâ egit. Caro vas fuit: quod habebat, attende, non quod erat. Apostoli missi sunt, nunquid caro ipsorum nihil nobis profuit? Si caro Apostolorum nobis profuit, caro Domini poterat nihil prodesse? Unde enim ad nos sonus verbi, nisi per vocem carnis? Unde stylus? Unde conscriptio? Ista omnia opera carnis sunt, sed agitante spiritu tanquam organum suum. Spiritus ergo est qui

qui vivificat, caro autem non prodest
 quicquam, *sicut illi intellexerunt car-*
nem, non sic ego do ad manducandum
carnem meam. Proinde, Verba, in-
 quit, quæ ego locutus sum vobis, spi-
 ritus & vita sunt. Hæc Aug. Hoc sen-
 su carnem Christi nihil prodesse, imò
 plurimum nocere, (nempe si indignè
 manducatur) expressè docet Paulus
 I. Cor. II. v. 29. quod & nos utique
 ultrò concedimus. Quare idem Au-
 gustinus Tract. 26. in Joan. ait: *Quam*
multi de altari accipiunt, & moriuntur?
Unde dicit Apostolus: Judicium sibi
manducat & bibit. Nōne buccella
Dominica venenum fuit Judæ? Et ta-
men accēpit. Et cum accepit, in eum
inimicus intravit: non quia malum ac-
cepit, sed quia bonum (NB.) malè ma-
lus accepit. Videte ergo fratres, panem
cælestem spiritualiter manducate, inno-
centiam ad altare apportate &c. En
 spiritualiter manducare est cum debitâ
 præparatione ac dispositione animi
 & spiritûs Eucharistiam sumere: at hæc
 dispositio animi realem præsentiam
 carnis non excludit.

Qs

Resp.

Resp. IV. & dico: genuinus sensus
 citat. verborum est, carnalem horum
 intelligentiam, quo hæc à Caphar-
 naitis verè merè carnaliter, uti ex Au-
 gustino dixi, intelligebantur, nihil
 prodesse: unde Christus mox addidit:
Verba, quæ ego locutus sum, spiritus &
vita sunt, id est, ad spiritualia ac cale-
 stia tendunt, non ad carnalia Q. d.
 Christus: Qui verba mea intelligere
 vult juxta suum merè humanum, & car-
 nalem sensum & affectum, nec vult
 credere, quæ ego dico, nisi ea suo hu-
 mano ac carnali intellectu capere pos-
 sit, hic intelligendi modus est *caro*, seu
carnalis, nec quidquam prodest. *Spi-*
ritus est, qui vivificat, id est, ille spiritua-
 lis intelligendi modus, quo quis à Spi-
 ritu sancto excitatus, ac verè superna-
 turali fide illuminatus verba mea, quæ
spiritus sunt, id est, ad res spirituales ac
 supernaturales tendunt, audit, iisque
 firmiter fidem adhibet, & carnalem
 sensum in obsequium fidei redigit.

Et quidem, quòd in hoc sensu *caro*
 pro rebus, verbis, affectibus, seu sen-
 sibus carnalibus, & pro ipso carnali in-
 telli-

tellige
 tu pr
 turali
 turali
 Scrip
 oppon
 ribus
 (spiritu
 Gen.
 homo
 ritus spi
 dedit,
 cet?
 ibid. v
 iuim
 nalia.
 plum
 Caro
 Pater
 hoc n
 nâ, &
 Patre
 lem i
 qua c
 quid
 Paul
 senti

telligendi modo: è contra verò *spiritu*
tu pro rebus & affectibus à superna-
 turali lumine excitatis, vel ad superna-
 turalia & spiritualia tendentibus in
 Scriptura (maximè, dum *caro spiritus*
 opponitur) sumi soleat, patet ex plu-
 ribus locis. Deus ait, *non permanebis*
spiritus meus in homine quia caro est,
 Gen. 6. 3. Quo sensu est caro? Sanè
 homo in naturâ suâ caro est, non me-
 ritus spiritus. Deus hanc ipsi carnem
 dedit, cur ergo jam ob carnem displi-
 cet? Quo sensu *caro* dicatur, patet
 ibid. v. 5. Quòd *cuncta cogitatio cor-*
dis intenta esset ad malum, id est, ad car-
 nalia. Et Christus ad Petrum, dum
 ipsum profitebatur Filium Dei, ait;
Caro & sanguis non revelavit tibi; sed
Pater meus &c. Matth. 16. v. 17. id est:
 hoc non consecutus es merè huma-
 nâ, & carnali cognitione; sed à meo
 Patre per suprahumanam & spiritua-
 lem illuminationem, cui inniteris, &
 qua carnalem cognitionem subdis. Et
 quidem, ut plura alia transeam, ipse S.
 Paulus in uno cap. 8. ad Rom. hoc
 sensu sæpius utitur, & per *spiritum in-*

Q 6

tel-

telligit eos, qui non secundum carnem ambulant. Nam de se, alijsque iustis ait v. 4. *Non secundum carnem ambulemus, sed secundum spiritum. Qui enim secundum carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt: qui verò secundum spiritum sunt, quæ sunt spiritus, sentiunt* v. 6. *Nam prudentia carnis mors est; prudentia autem spiritus, vita & pax.* v. 7. *Quoniam sapientia carnis inimica est Deo: Legi enim Dei non est subiecta, nec enim potest.* v. 8. *Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt.* v. 9. *Vos autem in carne non estis; sed in spiritu, si tamen spiritus Dei habitet in vobis &c.* En, quàm clarè Paulus doceat, qui sint in carne, & qui in spiritu: seu, qui sint caro, & qui spiritus, nempe caro sunt, seu in carne, qui secundum carnem ambulant, sentiunt & operantur. Spiritus sunt, seu in spiritu, in quibus spiritus Dei habitat, & qui secundum hunc spiritum, seu ejus instinctum ambulant, sentiunt & operantur. Hanc ipsam doctrinam tradit Christus carnalibus Capharnaitis, dum ait: *Spiritus est, qui vivificat, caro*

ro non
locu

Qu
sensu
ter e
differ
celo
nem
quis
mura
voleb
intell
esse p
diceb
ph,
nem
de co
Lisig
dicens
nem
Imò
ente
quis
enim
sum
sen
ma

ro

re non prodest quidquam. Verba, quæ locutus sum, Spiritus & vita sunt.

Quod autem cit. verba Christi hoc sensu literaliter intelligenda sint, patet ex circumstantiis; nam cum audissent, quod Christus dixerit, se de cælo descendisse, se panem vitæ esse, carnem suam verè cibum &c. hunc nisi quis manducet, moriturum &c. murmurabant, nec verbis ipsius credere volebant; quia infirmo & carnali suo intellectu ducti, quomodo hæc vera esse possint, non percipiebant. Unde dicebant: Nonne hic est Iesus Filius Joseph, cujus nos novimus Patrem & matrem? Quomodo ergo dicit hic: quia de cælo descendi,? v. 42. Et rursus: Litigabant ergo Judæi ad invicem, dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? v. 52. Imò multi hæc ex discipulis ejus audientes dixerunt: Durus est hic sermo, & quis potest eum audire? v. 60. Putabant enim, ait D. Augustinus, hoc dicere Iesum, quod eam, idest carnem suam, possent concisam, sicut agnum coquere, & manducare. Tract. 12. in Joan.

Q7

Hac

Hac occasione Christus dixit. v. 63. citata verba: *Spiritus est, qui vivificat: caro non prodest quicquam.* Et mox ipse suorum verborum exegesis addidit dicens: *Verba, quae ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.* Certè, cum Nicodemus non capere posset, quomodo homo, & iam senex possit renasci (Joan. 3. v. 4.) ideòque Christo hoc ipsum asserenti credere nollit, ipsi quoque Jesus eodem sensu dixit: *Quod est natum ex carne, caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritus est.* v. 6. id est, quod carnali generatione natum est, instinctu carnis ad carnalia tendit cuncta carnaliter intelligit: at quod natum est ex spiritu generatione spiritali per S. Spiritum, hoc ad spiritalia tendit & verbis meis credit &c.

Ne verò D. Heideggerus, dicat, me nunc primum verbis Christi hunc sensum affingere, ut vim argumenti ipsius eludam, audiat præter August. etiam D. Cyprianum & D. Chrysostomum, alterum Græcum, alterum Latinum. D. Cyprianus de Cœna Domini hæc scribit, *Obscugerant Auditores, cum dico-*

diceret Dominus : Nisi manducaveri
 tis carnem Filij hominis, & biberitis
 ejus sanguinem, non habebitis vitam
 in vobis. *Quod quidam, quia non cre-*
debant, nec poterant intelligere, abierunt
retro : quia horrendum eis & nefarium
videbatur, vesci carne humanâ, existi-
manes hoc eo modo dici, ut carnem ejus,
vel elixam, vel assam, sectamque mem-
bratim edere docerentur, cum illius per-
sonæ caro, si in frustra partiretur, non
omni humano generi posset sufficere, quâ
semel consumptâ, videretur interisse reli-
gio, cui nequaquam ulterius victima su-
pereffet. Sed in cogitationibus hujus-
modi caro & sanguis non prodest
quidquam : quia sicut ipse Magister
exposuit, verba hæc spiritus & vita
sunt : nec carnalis sensus ad intellectum
tanta profunditatis penetrat, nisi fides ac-
cedat. Hæc S. Cyprian. D. Chryso-
stomus cit. locum sic commentatur
Hom. 46. in Joan. Spiritus est, qui
vivificat, caro autem non prodest
quidquam : Hoc est, secundum spiritum
verba mea audienda sunt. Qui secun-
dum carnem audit, nihil lucratur, nihil
uili-

utilitatis accipit. Carnale est dubitare,
quomodo de cælo descendit, & Iosephi
filium arbitrari; & quomodo (NB.)
possit nobis carnem suam dare ad mandu-
candum. Hec, inquam, omnia carna-
lia, quæ mysticè & spiritualiter intelli-
genda sunt & c. At ne quis putet, quòd
S. Pater per ultima hæc verba mysticè
& spiritualiter intelligat, carnem Chri-
sti tantummodò spiritualiter & per
fidem, non autem realiter ac substan-
tialiter quò ad propriam quoque enti-
tatem carnis sumi, audiantur, quæ ip-
se ibidem paulò post in sequentem
versum subjungit: Verba, quæ ego
locutus sum vobis, spiritus & vita
sunt. Spiritus, hoc est, spiritualia, ait,
nihil carnale (NB.) nullam naturalem
consequentiam habentia, sed omni hac
terrenâ necessitate, & huius vita legibus
libera. Est & alius sensus: Sicut in hoc
loco spiritum pro spiritualibus posuit, ita
cùm carnem dicit, non pro carnalibus,
sed pro carnaliter audire, eos significans,
qui semper carnalia desiderabant, cùm
spiritualia desiderari oporteat. Nam
si carnaliter ea quis acciperet, nihil sanè

lucra-

lucraretur. *Quid igitur? An caro non est caro? Maxime ceriè. Quomodo igitur ait: Caro non prodest quicquam? Non de sua carne dicit, (NB.) absit; sed de his, qui carnaliter accipiunt, quæ dicuntur. Quid autem est carnaliter intelligere? Simpliciter, ut res dicuntur, neque aliud quippiam excogitare. Non enim ita judicanda sunt quæ videntur, sed mysteria omnia interioribus oculis consideranda, hoc est spiritaliter. Qui non manducat carnem meam, & bibit meum sanguinem non habet vitam in semetipso (v. 53.) Quomodo igitur nihil prodest caro, sine qua nemo potest vivere? Vides, quod ea particula: Caro non prodest quicquam: non de ipsâ carne, sed de carnali auditione dictum est. Hæc Chrysost. hom. 46. in Ioan. mihi fol. 240. &c.*

En, quàm nervose hæc præcipua Ecclesiæ lumina doctrinam D. Heideggeri, quam (expresse à Christo ipso doceri, ipse affirmare non veretur,) non modò, utpote manifestè falsam, sed & in salvatorem ipsum injuriosam refutent!

Ex

Ex *his*, quin & ex jam supradictis, amice lector, collige, non esse, cur fidas, etsi in scriptis D. Heideggeri legas, hanc vel illam doctrinam *expressè, manifestè, disertè, abundè, liquidò* seu *disertis verbis &c* (quibus D. Heid. passim utitur) in Scripturâ doceri, innui, tradi, indigitari &c. cum videas, quod ipse hujusmodi adverbia non tantum ijs, quæ dubia sunt, & obscure docentur, sed etiam ijs, quæ prorsus falsa sunt, & nullo modo in Scriptura docentur, apponere soleat. 2. Non opus est, ut, quis ille sit, qui verba Christi spiritualiter, seu secundum spiritum, & qui ea, Capharnaitarum more, carnaliter, seu secundum carnem intelligat ac explicet inquiramus; hoc enim ipsemet facile tum ex ipsis Scripturæ locis alligatis, tum ex citatis Patribus colliges.

CAPUT VIII.
SOLVITUR VI. ARGUMENTUM.

O Biscit VI. *Præsentia hac fictitiæ pugnat cum fide ascensionis Christi in cælum.*